

**ARCHIVIO GENERALIZIO - Sezione Storica**

---

Chierici Regolari Somaschi

n. PCB 605

---

---

7 settembre

---

---

2 ottobre 1960

---



Joanni Baptistae Pigato Josephus IJsewijn S.P.D.,

2.2.60

Quod sero litteris votisque in annum novum tuis responsum dedi, reverende admodum et amicissime Pater, id non tabellariis publicis imputandum est, qui in Flandria ab opere nullo umquam die cessaverunt, verum mihi metipso qui variis laboribus et curis a litteris scribendis aliquamdiu abstractus sum. Quas inter curas non minima est uxoris salus. Etenim cum gravida iterum facta sit, una periculum haud leve ortum est ne res secus evaderet. Etiam nunc in dubio timemus.

Interim tamen certus eram te litteris quam decuit serius redditus non offensum iri itaque ne moram aliquam interponerem non veritus sum. Nihilominus nunc tandem et me litteris tuis vehementer gavisum esse praedico et omnia fausta felicia pacifica per totum annum ut tibi sint gratus opto.

Quae proximis septimanis in Belgio vel potius in tractu Belgii meridionali acciderint nemo mirari debet qui huiusce regni historiam et compositionem artificiosam aliquantum perspexerit. Intra enim Belgii fines tres populi vel potius populorum partes, Flandrici Vallonici Germani, etsi nihil commune habent, una vivere coacti sunt. Ut de Germanis taceam qui pauci sunt in extremo regni limbo orientali, Flandrici homines sunt stirpis germanicae, ordinis ac tranquillitatis amantes, catholici maxima ex parte, communi demum sermone cum Batavis coniuncti. Anno 1955 Flandria Leopoldum regem exsulantem unanimes fere revocavit, anno 1955 novae legi de scholis, a ministro socialistico et Vallonico propositae, acriter sese opposuit. Nunc tandem legem, quae vocatur unica (quia id spectatur ut una lege oeconomia publica post Congum amissum reformaretur), accipere voluit quia concordia et parsimonia omnium civium opus est ut terra nostra detrimenta anni superioris resarciat. Itaque hihil fere in Flandria turbatum aut cessatum est, etsi communistae et socialistae Vallonici Francogallici et Germani orientales qui Antverpium Gandavum aliasque in urbes advecti erant infimam plebem excitare conati sunt.

Vallonici vero revera francogallici sunt homines, turbatores, marxistae et quam maxime instabiles. Mense octobri proximo Balduinum regem et Fabiolam sponsam Leodii ardentius quam Flandrici acclamarunt iidem viri, qui paucis diebus post reginam novam vaccam hispanicam publice appellare ausi sunt. Heri vero cum rex et regina Castellum, urbem Vallonicam aquis Sambriae fluminis inundatam visiterent, ingenti populi ovantis concursu excepti sunt!

Accedit quod regiones nostrae, ubi pueri et adulescentes multi sunt magis magisque florescunt et propter condiciones fabricis novis erigendis egregias opifices et industriosos extraneos attrahunt alliciuntque. Vallonicae autem, ubi pueri odio vel molestiae sunt, ubi fodinae iam tandem exinanitae sunt, unde tandem pecunia ad regiones tutiores aufugit, citius citiusque senescunt ac deseruntur. Vallonia moritur! Non iam rari sunt vici Vallonici, praesertim rurales, quorum incolae ex tertia vel altera parte Flandrici sunt. In fodinis tertius quisque fossor tantum Vallonicus est, ceteri Italiani et Flandrici, etc. Iam tandem, ut intelligas quanto discrimine Vallonici a Flandricis discernantur, hoc addam Lovanii in universitate, cuius pars est flandrica, pars francogallica ad sermonem quod attinet, inter studiosos utriusque gentis nihil esse commune raroque vel nunquam accidere ut Flandricus cum Vallonico colloquatur etiamsi in uno eodemque conclavi scribendo vel legendo consederint.

Nunc vero ad "Musas latinas anni MCMLX" revertar oportet. Iterum tibi tuisque omnia fausta precor nostrique ut memor maneat oro.

Vale!

Scripti postridie Kal. Febr. anno MCMLX  
Antverpiae.

(Arch. Sommaria)